



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Praxis Beneficiorvm D. Petri Rebvffi Montispessvlani
Ivrvvm Doct. Ac Comitiss, Ivrisqve Pontificii Ordinarii
Professoris Paris. & ibidem in supremo Senatu Causarum
Patroni**

Rebuffi, Pierre

Coloniae, 1610

II. Decisio Rotæ, Colonien. Canonicatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63686)

quia collatio Papæ non fuisset facta infra
trimestre, & Concordata intrarent.

Horatius Mandosius Aduocatus.

NOTABILE II.

Colonien. *Canonicatus Luna. 17. A-*
pril. 1589. In supremo iudicio Ro-
te Romane.

Domini dixerunt dandum esse man-
datum de immittendo Henrico, iusti-
ficata per eum gratia Apostolica. Ha-
bent enim literæ Apostolicæ executionem
paratam, sicut remedium legis *fi. C. de eden.*
Bald. in l. 2. num. 65. C. de seru. & aque. Abb. in
c. pastoralis. num. 14. in fin. de caus. possess. & pro-
pri. Et est decisio Mol. 206. quam Rota passim
sequitur.

Nec Melchior prætendens habere titu-
lum à Capitulo, ordinario collatore, dici-
tur legitimus contradictor, ut iudicio or-
dinario agendum sit, *iuxta tradita per Doct.*
in d. l. fin. Quia cum agatur de beneficio re-
seruato ratione mensis, iuxta Concordata
Germaniæ, titulus habitus ab Ordina-
rio non dicitur similis ad hunc effectum,
per ea, quæ considerata fuerunt diebus
præteritis in causa Burgen. coram R. P. D.
Gypso. Vnde cessat obiectum, quod fieri
potest ex Mol. & aliis deductis in causa
Lucan. 7. Iunii 1585. coram R. P. D. Orano
Et potest procedi executiuè.

3 Gratia verò Henrici quoad vacationem
in mense Maii Anno 1582. verificatur ex
confessione Capituli, cuius nomine causa
agitur, in positionibus datis in partibus.
Agid. decis. 68. Romanus consil. 91. in fine.

Quod Papa prouiderit intra tres men-
ses iuxta Concordata patet ex Data, sub
die Iunii eiusdem anni.

Nec officit, quod talis prouisio intra
tres menses à die vacationis non innotue-
rit in partibus: quia hoc non fuit necesse,
stante declaratione Rotæ, coram Fabio
Accoramb. 13. Febru. 1559. in decis. diuer. 126.
quam scilicet, rec. Gregor. XIII. approbavit

in Constit. edita ad tollendam ambiguita-
tem quæ inerat verbis Concordatorum,
in vers. Quoties &c.

Et quamuis idem Gregorius ad excu-
dam diligentiam prouisorum velit, signi-
ficationem obtentæ prouisionis intra tres
menses fieri debere, non tamen annullat
prouisionem, si hoc omisum fuerit, sed ir-
ritas declarat quascumque prouisiones Col-
latorum factas post publicationem gratiæ
Apostolicæ. Quare irrita manet altera
prouisio Capituli ad fauorem Melchio-
ris, post præsentatam Officiali Colonien.
prouisionem Apostolicam.

De qualitatibus, & habilitate Henrici
fatis constat ex attestatione Executoris,
qui est eiusdem Ordinarius.

De clericatu constat ex literis Illustris-
simi Urbis Vicarii in actis productis.

Superest verificatio valoris: fuit enim
expressus ad 24. sed allegatur hunc valorem
consuetudinarium 24. solere exprimi in
Canonicatibus illarum partium, nec at-
tendi verum valorem, cum non agatur de
Annata, prout ex hac ratione admittitur
similis consuetudo in impetratione benefi-
ciorum in Regno Franciæ. *Rebuff. in practi-*
titu. de forma not. prou. in vers. cuius & ill. & in
Reg. de Vno. gloss. 2. Quia tamen de huius-
modi consuetudine in actis non appa-
ret, desideratur valoris, aut huiusmodi
consuetudinis, opportuna probatio.

NOTABILE III.

Coram R. P. D. M. Bubalo Paderbor-
nen. *Præpositura, 9. Martii, & 30.*
Maii 1588.

DE mandato Sanctissimi Domini nostri
ex ordine ad me transmissio, per Illu-
stris. & Reuerendiss. Dominum me-
um Cardinalem Lancelorum, propositum
dubium in Rota, an Præpositura Ecclesiæ
Paderbornen. esset Sedi Apostol. reserua-
ta. In facto autem præsupponebatur, sine
veri præiudicio, dictam præposituram esse
electiuam, & primam dignitatem post
Pontificalem in dicta Ecclesia. Præsuppo-
nenda.